# DISPUTATIO MEDICA
# INAUGURALIS
DE
# PUERPERARUM HYSTERITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

*SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS*

*RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS TODD MOXEY,

Scotus,

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. LICENTIAT.

---

Aggrediar non tam perficiendi spe, quam experiendi voluntate.

Cic. Orat. ad. BRUTUM.

---

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

SUO

PATRI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE,

CONSECRAT

GEORGIUS TODD MOXEY.

GULIELMO CAMPBELL, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIUM

SOCIO,

DE ARTE OBSTETRICA

CLARISSIMO PRÆLECTORI,

PROPTER BENEFICIA INNUMERA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN SE COLLATA;

HANC DISSERTATIONEM,

SIGNUM AMORIS,

DEDICAT

ALUMNUS.

JACOBO MOIR,

ARMIGERO,

CLASSIS REGIÆ BRITANNICÆ

CHIRURGO,

HOC OPUSCULUM,

PIGNUS QUIDEM PEREXILE,

ANIMI SEMPER GRATISSIME MEMORIS

MULTORUM BENEFICIORUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

OFFERT

AUCTOR.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

### DE

# PUERPERARUM HYSTERITIDE.

---

In paginis sequentibus pauca de Hysteritide dicere volui, observationes meas isti formæ hujusce mali, utique in statu puerpero apparet, solummodo cohibens.

Mihi tamen bene comprobatum est, multos nec parvi nominis haud parvam curam huic morbo jam impendisse, et eosdem fere nihil reliquisse quo medici recentiores scientiam nostram de hac re ampliare poterunt. Ob quam causam vereor

ne mirum et indecorum videatur, hunc morbum a me pro Tentamine Inaugurali præoptatum esse; sed quoniam occasio nuperrime fuit mihi haud pauca exempla Hysteritidis notandi, et quum semper in animo fuit, quodvis experientia mea comprobatum, potius quam ex libris aliorum decerptum, pro disputatione seligere,—sic magna spes mihi in pectore orta est, me eadem indulgentia donatum iri, quam omnes juvenes generosi summos honores medicinæ rite appetentes, in nostra Alma Academia experiri solent.

## MORBI HISTORIA.

HIC morbus non secus ac cæteræ phlegmasiæ, fœminas robustas et pleni corporis, magis quam debiles et macras, invadere gaudet; necnon apud illas luxuriis mensæ deditas, sese haud raro ostendere solet. Fateri tamen cogimur, hoc malum apud fœminas omnigenas sese manifestasse, seu macræ seu debiles, sive plenæ sive robustæ sint, etiamque apud illas quæ graviter aut feliciter partum enixæ sunt. Sed in hoc ut in quo-

vis alio morbo ægras invenimus, in quibus difficile annunciatu foret, quæ res præ aliis accessioni hujusce mali maxime faveret.

Affectiones inflammatoriæ aliarum partium corporis sæpius per menses frigidos ac humidos quam per æstivos occurrunt, sed ut inflammatio uterina in statu puerpero ex plurimis casibus ab ægra ipsa inductis, originem suum trahere solet, sic hic morbus de quo agere volumus, haud ullo certo tempore anni medicinam facientibus occurrit.

*Indicia.*—Symptomata Hysteritidis sese ita in aperto gerunt, ut quivis medicus parum difficultatis habebit quo morbum qui ægram vexat dignoscere poterit; sed hoc malum tamen per plures dies existere potest, nisi medicus omni tempore quo ægram post partum visere volet, omnia symptomata quæ præter naturam sunt notare curabit. Necnon est inflammatio uteri et ægra ipsa ac medico insciis invadere cœpit, nec præsentiam mali detegere poterimus, nisi manus regioni hypogastricæ applicetur; qua sensum doloris movebimus, et sic morbus haud alio modo

vix ac ne vix quidem explorandus, sese palam profitebitur.

Nec status pulsus in hoc malo haud dubiam fidem sibi vindicat; nam omnia symptomata morbi sese quasi luce clariora sub mea cura gesserunt, et diastole arteriarum tamen nihil præter solitum micabat: quod quamvis nonnunquam, raro tamen accidit.

Hysteritis fere a secundo ad quintum diem post partum sese manifestat, sed identidem usque ad diem duodecimum latere reperta est. Rigores adventum mali prænunciant, dein febris symptomatica cito accedit. Rigores plerumque adeo graves sunt ut vix nunquam in silentio prætermitti sinantur, dum exempla sunt in quibus nullam attentionem vel ægræ ipsius, vel adstantium, sibi vindicant. His indiciis dolor capitis, nausea, sitis, calor auctus, actio cordis et arteriarum incitata, cum cæteris signis pyrexiæ generalis, plerumque superveniunt. Cum accessione rigorum vel etiam paulo ante eorundem adventum, ægra ipsa vel amicæ quæ illi assidere solent, fluxum lochiorum vel minui vel ex toto sup-

primi notant, et cessatio hujusce purgationis in primis diebus morbi fere semper accidere volet.

Fluxu lochiorum jam suppresso, ægra de dolore et molestia in regione uterina conqueri incipit; hic sensus ingratus sine mora gravior evadit, et plurimum augescens versus lumbos ac ilia tendit. Inferiorem partem abdominis præter solitum tumidum præcipue supra pubem ægra nunc sentit, et huic parti tensio plerumque in casibus levioribus sese cohibet, sed siquando morbus ultra modum æstuat, totum abdomen tumidum ac tensum usque supra umbilicum apparet. Abdomen præter solitum tumidum attentionem ægræ vel adstantium sibi primum attrahit, per quod res non sese bene gerere fere semper intelligunt, et hic sensus ingratus haud raro percipitur, quum fascia qua fœminæ post partum cinguntur, accommodatur.

Quum medicus statum abdominis nunc inspicit, uterus magnitudine auctus, durities ejusdem et dolor per pressuram inductus, nihil dubii quod ad naturam mali relinquunt. Necnon quum fluxus lochiorum jam prodire cessaverint, vasa quæ sanguinem vehunt motum auctum accipi-

unt, et pulsus arteriarum a septuaginta et octo ictibus in minuto horæ usque ad centum et quadraginta, post cessationem purgationum paucis horis, sub mea cura, jamdudum ascendit.

Secretio lactis quoque ex magna parte imminuitur, et in casibus gravioribus ex toto supprimitur; nec postea etiam cum morbus amotus sit, hoc fluidum homunculo adeo necessarium redire solet; et quandocunque inflammatio cujusvis visceris post statum parturientem ægram invasit, secretio lactis quamvis antea abundans haud tanta copia jam exsugi potest. Organa quæ secretioni urinæ inserviunt, propter consensum quem cum utero habent, per hunc morbum plus minusve afficiuntur, et urina non secus ac cæteris phlegmasiis rubra apparet, ac sedimentum lateritium deponit: Cupiditas hoc fluidum reddendi sæpissime accedit, et affectio ista, Dysuria designata, victimam miseram fere semper lacessit.

Talis cohors signorum in Hysteritide sub conspectum medici plerumque venit; sed siquando morbus haud debitam curam in limine acceperint, vel si pro ulla alia affectione minoris momenti tractatus fuerit, et sic remedia vix ac ne

vix quidem satis efficacia porrecta sunt, violentia morbi haud cohibenda, maximis ac strenuissimis conatibus medici illudet.

In gravioribus exemplis hujusce morbi, dolor capitis vix ferri potest, et nonnunquam adeo violens ac intollerabilis evadit ut delirium ferox interdum supervenit; calor cutis supra modum surgit, et sitis vix compescenda nec largissimis haustibus sedanda ægram lacessit: pro nausea, vomitio gravissima accedit, dum quædam exempla sunt in quibus ventriculus parum vel nihil dolet: respiratio quoque in his exemplis nequaquam libere aut facile perficitur; dolor in regione uterina adeo excrucians est ut tolerari nequeat; nec minima pressura adhiberi potest, quin idem plurimum augetur, et sanguis ut quidem expectari potest, per omnes partes corporis velocissime propellitur.

Quum violentia morbi eo usque processit, ut resolutio maxime optanda spem nostram fefellit, et sic suppuratio finem inflammationi imponit, formatio puris post Hysteritidem iisdem signis ac in cæteris morbis sese prodit: rigores primum accedunt, dein sudores exudant, et dolores antea

molestissimi nunc leviores evadunt; pulsus tardior ac mollior micat; serius aut citius pus per varias partes parietum abdominis, vel supra pubem, vel ad inguina, erumpere videtur; dum interdum abscessus sedem sibi format, unde materiem quam continet, vel in partem intestinorum infimam, vel in vaginam vel vesicam urinariam fundat, et per quas portas via detur qua e corpore exire liceat.

Gangræna haud sæpe in hoc morbo evenit; sed si quando accidat, præsentiam ejus cessatione doloris, pulsu debili et abnormi, delirio murmurante, sudore viscido, et extremitatibus frigidis, dignoscere poterimus; mox vultus cadaverosus apparet, et mors finem miseriis victimæ imponit.

## POST MORTEM SPECIES.

Quum hic morbus in morte desinit, nobis expectare licet, ex intima connectione quam uterus cum aliis partibus vicinis habet, species morbosæ post mortem detegendæ multo latius quam

in sede mali primaria sese ostensuræ esse, et ideo, secto cadavere, invenimus peritoneum, intestina, vaginam ac vesicam urinariam, propter nexum ac consensum qui inter uterum et illas partes intercedit, plus minusve quod ad speciem naturalem mutatas esse, ac violentiæ inflammationis ad certum modum succubuisse. Sed illa signa hic tantum enumerare volo, quæ in utero et appendicibus ejusdem sese ostendere solent.

Parietibus abdominis rite sectis et utero in conspectum allato, res quæ primo et maxime nostram attentionem sibi vindicat, est status vasorum quæ in tunicam peritonealem uteri impenduntur ultra modum turgidorum, et hæc repletio non solum ad superficiem uteri continetur, sed per totam compaginem explorari potest.

Uterus ipse quoque præter naturam auctus ac ovaria ob inflammationem localem eodem modo affecta, admirationem medici explorantis deinde excitant.

Quamquam uterus paucis diebus post partum plurimum contrahitur, tamen quum inflammatio hoc viscus occupaverit, iterum citissime amplia-

tur, et in quibusdam exemplis uterum tam celeriter sese contrahere notavi, ut haud parum curæ necessarium esset, quo situm ac conditionem ejusdem, etiam tertio vel quarto die post partum deprehendere possem; sed quum primum inflammatio impetum ejus in uterum fecisset, auctus status hujusce organi etiam per parietes abdominis in aperto erat; tanta rapiditate sese evolverat.

Ovaria quoque eodem malo sæpe obruuntur, et tumida facta, ova gallina quodammodo referre videntur. Quum uterus ex partibus vicinis scalpello vel manu sejungitur, videmus hoc organum per materiem gelatinosam cum iisdem sæpissime adhærere, et hæc materia nihil nisi lympha coagulabilis est, quæ propter inflammationem in casibus hujuscemodi ex vasis minimis fere exudat. Tunica ex peritoneo quæ uterum investit, præter vasa turgida, vel pure vel ulceribus gangrænosis, in variis partibus occupatur. Incisione in substantiam uteri facta in ista parte quam gangræna vitavit, insolita densitas hujus parietum et plurima vasa quæ parietibus sectis sanguinem

exudant, testimonia de statu morboso quoque suppeditant.

In quibusdam exemplis, gangræna per uterum longe lateque grassatur, dum abscessus in substantia hujus organi sedem habentes nonnunquam deteguntur; et in his casibus miseris, quibus ægræ ex diutina et copiosa suppuratione morti succubuerunt, magna ulcera ac sinus in conspectum venerunt, qui sinus cum recto, vagina ac vesica urinaria commercium habentes, per has vias materiei purulentæ exitum præbuerunt.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Nihil dubii est quin plethora corporis Hysteritidi non secus ac cæteris phlegmasiis favet; sed hic morbus fœminas invasit, in quibus nihil istiusmodi existere potuit.

Mihi tamen videtur, uterum in statu puerpero inflammationi semper obnoxium esse, nam quum primum rudimenta futura prolis principio vitali imbuta sunt, sanguis non sine sapiente consilio naturæ, majore impetu quam antea versus ute-

rum defertur, et sic inflammatio ob graviditatem hoc organum præ aliis partibus corporis plerumque occupat.

## CAUSÆ EXCITANTES.

Causæ quæ Hysteritidem excitant multo majores numero sunt, quam quæ fœminas huic morbo prædisponunt, et tales sunt quales inflammationem cujusvi organi movere possunt. Inter has nobis enumerare licet, frigus, stimulos varios, nisus ac dolores parturientes ultra modum continuatos, et violentiam partibus ægræ per instrumenta vel aliter illatam. Horum omnium, ut opinor, frigus ac stimuli, malum de quo agitur frequentissime inducunt; et haud pauca exempla mihi evenerunt, in quibus vinum, cerevisia ac similia nimis cito post partum porrecta, hunc morbum excitarunt. Nihil equidem apud plebem frequentius quam suppressio lochiorum ex usu stimulorum immodico accidit, et nisi purgationes quæ post partum ex utero profluunt, re-

mediis propriis brevi restituantur, inflammatio hujusce visceris fere semper superveniet.

Si ægra post partum frigori præmature objiciatur, magna cohors malorum præter Hysteritidem illam vexare poterit, et quoniam ratio vel modus quo frigus aut stimuli inflammationem inducere possunt, jam antea lucide ab aliis tractatus fuit, haud mihi necessarium erit, ecquid de illa re in his paginis notare. Siquando est opus ut instrumenta arte fabricata, in auxilium vocanda sint, et si eadem non satis caute vel satis perite applicentur, tunc inflammationem uteri vel partium quibuscum adnectitur, quadam ratione saltem expectare licet; sed nihilominus confiteri oportet, multas parturientes et ex instrumentis male applicatis et ex partu ultra modum gravi plurimum perpessas esse, et tamen post negotium confectum, vix aliquid mali ferentes, fere incolumes ac intactas ex certamine evassisse. Exempla etiam notantur, in quibus rectum, cum vesica urinaria, per instrumenta laceratum est, et tamen inflammatio uteri nulla accessit.

## CAUSA PROXIMA.

Causa proxima Hysteritidis eadem est ac in cæteris Phlegmasiis, nempe impetus sanguinis auctus versus partem affectam, etiamque actio vasorum aucta in parte affecta; et hæc doctrina satis in aperto videbitur, quum causas excitantes, et modum quo in corpus humanum agunt, consideremus; et hæc ratio adhuc magis corroboratur, consilio medendi quod in hoc, ut in aliis morbis ejusdem generis, tam feliciter usurpatur.

## DIAGNOSIS.

Quoniam eundem adspectum ac formam fere semper Hysteritis sibi assumit, quivis arte Apollinari institutus parum vel nihil difficultatis habebit, quo hunc morbum ab omnibus aliis quibus puerperæ objiciuntur, dignoscere poterit; sed ut quædam mala sunt quæ certa ratione Hysteritidem referunt, eodem tempore cavendum est, ne hanc rem nimis leviter tractantes, malum de

quo hisce paginis disserere voluimus, cum colica, vel cum doloribus partui succedentibus, vel cum inflammatione tubi intestinorum aut membranæ eadem investientis, ob haud satis magnam curam confundere poterimus.

Ne cum Colica confundatur, signa quæ sequuntur, rectam ac veram viam medico exploranti ostendent. Si ægra per colicam ac non per Hysteritidem vexatur, nihil pyrexiæ aderit, et lochia ex utero ut antea profluent, nil doloris aut molestiæ ex pressura sentietur, et dolor cum cessatione ejusdem alterno pede gestiet; præterea, si colica ægram lacessit, sensus cujusdam torquentis ac tendentis circa umbilicum, præsentiam hujusce mali palam profitebitur.

Si isti Dolores partum subsequentes, et qui ex ulteriore contractione uteri suum originem ducere putantur, ægram nostram conturbant, haud magna cura requiretur ut hanc affectionem ab Hysteritide, dignoscere poterimus. Iu doloribus hujuscemodi, (Anglice *after-pains*), ægra paulo post partum queremonias edere incipit, nulla pyrexia adest, nihil molestiæ insolitæ ex pressura evenit, dolores cum quiete alter-

nantur, et lochia nequaquam fluere cessant; quæ omnia symptomata sese aliter in Hysteritide gerunt.

Limites per quos Inflammationem Peritonei ab Hysteritide finire poterimus, non adeo in aperto erunt ac in illis affectionibus de quibus jam supra dictum est, sed si debita cura recte impendatur, discrimen quod inter hæc duo mala intercedit, feliciter distingui poterit. Si ægra inflammatione peritonei vexatur, dolor per abdomen latius diffunditur, et nequaquam uni loco ut in Hysteritide continetur; tensio ac intumescentia magis generales sunt, ac multo citius accedunt, incrementum rapidum accipiunt et fere totum abdomen occupant.

Peritonitis quoque magis occulte et quasi per insidias victimam adoritur, nec uterus adeo facile per parietes abdominis per tactum percipi potest.

Gravis languor, et permagna virium animalium depressio, pulsus contractus, vomitio perpetua ac tarditas alvi quæ in Enteritide valent, illam ab Hysteritide satis lucide dignoscent.

## PROGNOSIS.

Parum periculi hunc morbum comitabitur, dummodo remedia propria tempestive adhibeantur, et si hoc fit, prognosis nostra fausta dicenda est. Contra, si ægra per aliquod tempus et sine auxilio sub hoc morbo laboraverit, prognosis caute enuncianda est, quia inflammatio peritonei jam supervenire potuerit, vel suppuratio aut gangræna quæ maxime extimiscenda est, uteterum invaserit.

Siquando inflammatio uteri simul cum vita victimæ terminat, hic dirus eventus vel ex febre hectica per suppurationem inducta, vel ex inflammatione peritonei, suum originem fere semper ducere solet; nam vires ægræ molem mali vix sustentare possunt, ut illa per gangrænam absumatur.

Si exhalatio per cutem libere profluat, et si pulsus ad statum naturalem gradatim redeat, si dolor in regione uterina minus æstuet, si purgagationes sese feliciter iterum ostendant, et si mammæ suum lac secernere inceperint, progno-

sin faustam nobis dicere licebit. Si pulsus contra frequenter micat, si cutis ardeat et arescat, si dolor in regione uterina nihil levatur nec intumescentia aliquid minuitur, dum neque lochia nec lac redierint, tum timor in mente medici oriri debet, suppurationem invasuram esse, et si rigores accedunt nihil dubii de hac re existere poterit.

Cessatio subita doloris sudoribus viscidis comitata, et frigiditas extremitatum inferiorum, pro indiciis mortis adpropinquantis sumenda sunt.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Quod ad suppressionem lochiorum attinet, hæc affectio vel ex inflammatioue uteri oriri potest, vel inflammatio hujusce visceris ex lochiis suppressis originem suum ducere poterit. Lochia non secus ac secretiones corporis propter mutationes morbosas quas tunc temporis subit, vel minui vel ex toto supprimi possunt; hæ purgationes quoque ex vasis quæ easdem præbent præmature contractis cessare queant, et coagula

ostia vasorum obsidentia eundem affectum fortasse producant. Secretio lactis vel minui vel cessare potest ex sanguine versus uterum directo, et propter mutationes morbosas quas sanitas ægræ eodem tempore subit. Vomitio quæ in hoc morbo accedit, propter consensum qui inter uterum ac ventriculum valet, ægram nostram lacessere solet, et hoc idem in multis observatur quum menses fluunt, et quum aliqua affectione uterina laborant.

Aucta magnitudo uteri quæ in Hysteritide adeo perspicua est, quantitati sanguinis insolitæ qui jam in eodem fluit, et depositioni novæ materiæ, recte attribui potest: dolor qui ægram afflictat, distentioni mechanicæ vasorum a quibusdam auctoribus relatus est; sed mihi videtur, hunc, generi nervoso præter naturam excitato potius attribuendum esse.

## CURATIO.

Quod ad curationem Hysteritidis attinet, hæc facile perfici poterit, si remedia propria ac satis

efficacia tempestive adhibeantur; et quo facilius hanc rem efficiamus indicationes curationis quæ sequuntur, sedulo observandæ sunt.

Lochia præsertim quam primum reducenda sunt, actio cordis et arteriarum moderanda est, cursus sanguinis ad omnes partes corporis æquabilior reddendus est, et omnia symptomata molesta quæ maxime urgent, veluti sitis, dolor capitis ac vomitio, proxime levanda sunt.

Si intra primos quatuor dies post partum, lochia vel ex toto suppressa fuerint, vel fluere fere cessaverint, tunc metus erit ne aliquid gravius accidat, nam hæ purgationes, ut bene notum est, raro ante secundam hebdomadem post partum quiescere solent; et si lochiis suppressis dolor circa vel supra pubem addatur, nihil moræ in medico debet esse, et ad ista auxilia confugere oportet, quibus hunc fluxum maxime revocare poterit. Ad hunc finem, enemata purgantia et emollientia, vel quivis salium mediorum, plurimum conducent; et si totum abdomen præcipue qua dolet aqua calida foveatur, purgationes uterinæ quæ prodire cessaverant, sese iterum brevi ostendent: Sed si hæc remedia violentiæ morbi

impares erunt, multum boni nostris conatibus addetur, si aqua calida per vaginam frequenter injiciatur.

Quo secundam indicationem curationis, scilicet moderationem actionis cordis et arteriarum, efficere possimus, nihil magis validum aut præsens auxilium quam venæsectio erit. Quam primum igitur opinio nobis certa stabit, ægram nostram Hysteritide laborare, nihil temporis nos amittere oportet quin ad missionem sanguinis confugeremus, et quantum hujus fluidi emitti necessarium erit ex violentia signorum ac viribus ægræ omnino pendebit. Quum venæsectio quantum potuit usurpata fuit, vasa uterina per hirudines inguinibus applicatas qua ligamenta rotunda sese terminant, adhuc magis depleri poterunt, et exudatio sanguinis per fomenta calida plurimum promovebitur.

Si hæc remedia haud satis valuerint ad motum cordis ac arteriarum reprimendum, Digitalis purpurea aliqua forma utili porrecta plurimum ad hunc finem conducet; et si hæc medicina forma tincturæ adhibeatur, guttæ decem omni bihorio sumendæ sunt, donec ejus effectus sedativi sese

clare ostendunt: Hic mihi notare liceat, necessarium fore ad statum pulsus bene attendere, ne ægra nostra, nimis hujusce medicinæ assumens, plus periculi quam salutis sibi intulerit.

Tertia indicatio generalis quam nobis proposuimus est, reddere circuitum sanguinis æquabiliorem; et hanc indicationem optime efficiemus, si remedia diaphoretica rite et justa copia adhibeantur.

Varia medicamenta ex antimonio parata, quanquam utilissima sunt, sanguinem ab internis partibus ad superficiem corporis amovendo, tamen non semper convenienter porrigi possunt, propter nauseam quam excitare solent. Quapropter cum ventriculus doleat, vel turbetur, necessarium erit misturam salinam statu effervescenti exhibere, ut formula antimonii minus nauseæ excitare queat. Si Oxidum Antimonii cum Phosphate Calcis præoptemus, grana tria omni bihorio porrigenda sunt donec diaphoresis excitetur; vel si Vinum Antimonii exhibere malimus, decem vel duodecim guttæ eodem intervallo temporis feliciter sumantur. Spiritus Ætheris Nitrosi quoque dosibus semidrachmæ quaque hora secunda plurimum boni afferet, et sitim ægræ multum minuendo, et

calorem corporis ad statum naturalem ex magna parte reducendo.

Epispastica inter auxilia potentissima recenseantur, quibus localem determinationem amovere, et circuitum sanguinis æquabiliorem reddere poterimus; quapropter in usum vocanda sunt, cum aliæ res impetum sanguinis versus uterum cohibere nequiverint. Ad hunc finem, cataplasma ex polline sinapeos confectum et super regionem uterinam impositum, scilicet quod suos effectus citius præstabit, multo melius quam vesicatorium respondebit.

Inter illa remedia quæ vulgo apud medicos in usu sunt, quibus naturam inflammatoriam morborum compescant, res postulare videtur, ut pauca verba de virtutibus medicamentorum purgantium dicamus, nam salutis ægræ plurimum refert, ut aliqua et non parva attentio conditioni intestinorum impendatur, enim sic generalem irritationem et congestionem localem optime præcavebimus: Tamen recordandum est, gravem irritationem uteri oriri posse, si intestina per medicamenta hujuscemodi ultra modum excitentur. Ob hanc causam laxantia potius porrigenda sunt,

et si satis convenienter fieri posset, enemata præ medicamentis per os sumptis injici debent. Magnesia et pulvis Rhei palmati parvis dosibus, vel oleum Ricini, vel Phosphas Sodæ, motum intestinorum satis efficaciter promovebunt.

Quum symptomata propria indicant suppurationem vel jam existere vel mox adventuram esse, cataplasmata emollientia super uterum imponenda sunt; et quoniam boni effectus eorundem ex calore oriuntur, frequenter repeti debent. Quum pus prope superficiem advenerit, exitus sine mora per instrumentum idoneum præbendus est.

Vinum, diæta lauta, cinchona et alia roborantia, satis magna copia nunc administrari debent, ut vires ægræ molem mali sustinere possint; et si urbe vixerit, migratio ad rus perutilis erit.

Quarta indicatio quæ in Hysteritide efficienda est, in irritationem generalem minuendo et symptomata quæque molesta levando, constabit; et ut nostra voluntas de hac re melius impleatur, regimen antiphlogisticum ab initio morbi usque donec symptomata molesta abierint, summa attentione præscribendum est: Alvus quoque rite

et regulariter modo jam dicto quotidie ducenda est, et haud parum curæ impendi debet, ut aër purus cubiculum ægræ libere pervadat. Si dolor capitis ægram nostram lacessit, hirudines fronti et temporibus apponi debent, capillitium abradendum est, et panni lintei aqua frigida madidi super frontem impositi, multum levaminis afferent. Si sitis quoque urgeat, remedia propria quæ eandem sedare possint porrigenda sunt; Super-Tartras Potassæ satis magna copia aquæ soluta, vel fructus Tamarandi Indicæ, vel etiam poma ritè confecta, ad hunc finem optime respondebunt. Omnium symptomatum molestorum quæ fœminas Hysteritide laborantes vexare solent, haud ullum magis quam vomitio auxilium medici sibi postulat; sed tamen gratias agere debemus, remedia esse quæ impetum hujusce affectionis ex magna parte saltem sustentare reperta sunt. Haustus effervescens auxilium præsentissimum in hoc malo reperietur, præsertim si paucæ guttæ Tincturæ Opii adjungantur, et quoniam formula sub qua remedia hujuscemodi adhiberi solent, omnibus in aperto est, haud necessarium erit ut ulla verba a me de hac re dicantur.

Quum symptomata acuta remediis propriis remota fuerint, ægra admoneri debet quomodo sese gerere oportet, ne reditus morbi supervenire poterit; et quo hoc consilium melius impleatur, infans per aliam nutriendus est, præsertim si violentia morbi gravior fuerit: Omnia quoque evitanda sunt quæ lochia vel minuere vel supprimere possint; et ob hanc rem, diæta simplex perscribi debet, stimuli cujusve generis abnegandi sunt, et frigus ante omnia summa cura cavendum est.

FINIS.